

et unde, vel que causa te ad nos pertraxit? Videtur enim indecens, ut homo tot dierum Romam venire cogeretur. Abbas respondit: Domne, multum indecens esset, nisi cause pondus impulisset; sed gravissimum pondus cause portabile nobis fecit pelagus vie. Ego enim sum abbas ille Flandrensis, quem dure insequitur domnus abbas sancti Medardi Suessionensis volens sibi subicere nostrum locum, equidem nimis iniuste. Papa ait: Poterisne monstrare, quod sit iniuste? Abbas ait: Auxiliante Deo confido et presumo me ostendere posse. Tunc abbas optulit pontifici litteras episcopi Noviomensis et litteras abbatis Clarevallensis.¹ Tunc papa dixit: Et est sanus ille nobis karissimus frater? Abbas non plane intelligens, de quo papa requireret, dixit: Sanos et incolumes illos dimisimus. Papa dixit: Deo gracias. Tunc abbati dixit papa: Vade modo et provide tibi hospicium; cras^a vel sequenti venies ad nos et audiemus te. Episcopi ibi tunc presentes dixerunt: Vere dignus est audicione. Erant vero ibi tunc episcopi: archiepiscopus sancte Rufine², episcopus Hostiensis³, episcopus Signiensis^{b 4}, episcopus Ferentinus⁵, episcopus Tuscanus⁶ et abbates plures, quorum una vox hec erat, ut domnus papa misericorditer abbatem tractaret. Sed et nobiles Romanorum dixerunt: Per dominum Deum, multum peccatum fecit, qui talem senioreni fatigari coegit. Abbas vero adorans papam recessit et ivit in hospicium non longe a palacio. Diebus vero sequentibus assidue frequentavit palacium intrans et exiens et obtutibus pontificis seu cardinalium conventibus se ingerens, quatenus ipsa inopportunitate papam sollicitaret ad audiendam causam. Qui sepe dicebat abbati hylari vultu et benigno: Domne abba, quomodo vobiscum est? Ille alacriter respondebat: Domne, bene, et melius erit, si vestra misericordia me respexerit. Papa dicebat: Sustine nec fatigeris, quia, quantum poterimus, tuam voluntatem habebis. Non est enim usus nostre curie, ut venerabilis persona huc veniens cicius

^a) vor *cras* ein durchgestrichenes *v*.

^b) *Sigmensis*.

¹) Der hl. Bernhard von Clairvaux, Abt 1115—1153. ²) Kardinalbischof Theodewin (Dietwin) von S. Rufina (Silva Candida), ein Schwabe, spätestens 21. Dez. 1134 — 7. März 1151, BRIXIUS a. a. O. S. 47 n. 49. ³) Kardinalbischof Alberich von Ostia, 3. April 1138—1148,

Franzose aus der Diözese Beauvais, BRIXIUS a. a. O. S. 40 n. 2.

⁴) Johann III., Bischof von Segni, ca. 1138—1178 (1179). ⁵) Bischof

Trasimundus von Ferentino, 1138 — 22. März 1148. ⁶) Bischof Nicolaus von Viterbo-Toscanella, ca. 1140(—1149?).